



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ioachimvs Pater B. M. V. 20. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

quo Christus sub panis orbe, quo non lateret, perspiceret. Sed illa oculis carenti jucundissima spectacula fuere: videre non semel festo Pentecostes die sacrum Pnuma supra caput suum descendere. Denique cum precabunda beatissimum illum pusionem IESSU, illum illum solem potuit intueri, an non oculos habuisse jam probos putemus? Enimvero si oculis tunc non vidit, at certe charius aliquid oculis vidit. *Ex tom. 14. Bzovii.*

Præoccupatum secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vera vanis, aeterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis; ut pariter sapias qua sursum sunt, & qua super terram. S. Bern. hom. 5. de Ascens.

S. IOACHIMVS PATER B. M. V.
20. Martij.

IOACHIMVS è regiâ Davidis stirpe affem suum trifarum divisit. Partem templo sacram, alteram egenis & peregrinis communem, ultimam sibi & familiæ voluit reliquam; testamento, quod vel cælum probavit. Nam cum in ipsam senectam usque sine hærede vixisset (probro id ætatis ac loci tanto, ut cum sacrificio suo etiam repulsam ab arâ tulerit) precibus suis apud Numen hoc questus, candidissimum nuntium certæ prolis accepit. Et verò spem ipse etiam rei eventus longè maximè superavit. Nata enim MARIA, & cum MARIA, renatus orbis est. Et pensavit profectò partus tam serus, quidquid morarum traxerat. Potuit ignosci tempori tam magna parturienti: potuit IOACHIMVS hæc unâ filiâ beatus ridere populos alios filiorum. Proinde officium patris facturus, cælo filiam, cui debebat, vix trimulâ dicat, & tumplo jam tum

tum ancillam facrat, nullam cum hoc sacrificio re-
pulsam ab arâ extimescens. Ipse certus de Servit-
tore sinum Arahæ petit, inde paucis post annis
triumphantem CHRISTVM ovans sequitur in cæli
arces. Ibi ille olim sterilis senex omnium paren-
tum gloriam nunc exæquat. Summa ejus est, ge-
nuisse talem filiam, quæ talem illi nepotem pepe-
rit. Ex S. Io, Damasc. l. 4. de Fide Orth. & orat.
de Nat. Maria.

*Si primò non ex audiris, ab oratione non deficias;
imò precibus & clamori insistas; vult Deus rogari,
vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo
tibi dicit: Regnum celorum vim patitur, & vio-
lenti rapiunt illud. S. Greg. in psalm. 6. Pœnit.*

S. CVTHBERTVS EP. 20. Martij.

EXultabat puer CVTHBERTVS insolentiùs in-
ter æquales suos, victor cum omnibus aliis in
ludis, tum in luctâ præcipuè. Interea puero Pæda-
gogum submitit cælum trium annorù pusionem,
qui gravibus verbis castigavit leviculum, jussitque
mores assumere, qui infulam, quâ olim insignien-
dus esset, exornarent. Et audit CVTHBERTVS
Deum in infante loquentem, & jam tum abire ad
partes religiosorum hominum cogitavit. quod ut
posset faciliùs, ægotantis genu Medicus Ange-
lus, equo candido insignis, curavit. Homines
deinde ut pascere olim sciret, pascere pecora insti-
tuit, & vigil inter preces in illustri nocte Aidanum
Episcopum cælo vidit subire. Posthæc inter Reli-
giosos cum hospitem curam haberet, inter hos
aliquando Angelum numeravit. Nocturnas Vene-
ris faces sæpius rigentibus aquis mersus collo te-
nus extinxit. Episcopus Lindisfarnensis, altero
statim